

Handſchriftliches.

Prooemium Scholiastae anonymi ad libros Auctoris ad Herennium pertinentis, ex codice Rehdigerano descriptum

a

C. E. Glaesero.

Codex Rehdigeranus, ex quo ea, quae infra afferentur, transcripta sunt, membranis constat LXIII. formae quadr. maior. (alii eum nominant fol. min.) et ad saec. XIII. vel XIII. pertinere videtur: nitide quidem ille scriptus, sed propter creberrimum siglarum usum et litterarum tenuitatem ad legendum satis est difficilis. Nomen auctoris deest, neque omnino inscriptio addita est ulla, praeterquam quod a manu recentiore in libri fronte leguntur haec: *Incipiunt scripta super Rhetoricam TVLLII*. In *Kranzii* Catalogo ms. descriptus est hic codex sub n. 131: nunc insignitus I, 4, 22. *Wachler* in *Libello „Thomas Rehdiger und seine Büchersammlung zu Breslau“* p. 41. dicit, praecedere in eo discursum de arte rhetorica. Hanc ipsam huius scripti, quod nondum editum est, quod sciam, particulam speciminis loco editurus hoc tantum adiicio, eam bis in illo codice exstare, cum et in fronte libri et ad eiusdem calcem inveniatur. Quae res non sine magna commoditate fuit, quod vel in priore vel in altero apographo hic illic nonnulla rectius aut clarius exarata deprehenduntur, unde factum est, ut paucis verbis exceptis de verborum scriptura vix ambigi possit. Hoc vero loco non aptum esse iudicavi, quidquid in alterutro apographo vel in utroque perperam est scriptum subiungere, id quod necesse est fiat, cum operae pretium me facturum esse viris doctis videbitur, si totum huius scholiastae commentarium vel maiorem eius partem edidero.

1. Tam apud Graecos quam apud Latinos artis rhetoricae constat diversos fuisse scriptores. Qui apud Graecos in hac arte fuerunt celebres, hi sunt Aristoteles Gorgias et Her-

magoras; qui apud Latinos, Quintilianus, Tatianus et Tullius. 2. Sicut ergo huius artis rhetoricae diversi fuerunt scriptores, ita et diversis modis quid esset ars ista, diversi erant assignantes. Praeceptor enim Aristotelis et magister, videlicet Isocrates, rhetoricam vim esse persuadendi definivit, quem Quintilianus redarguit eo, quod non sola oratione rhetorica, immo et donis et blanditiis et virili vultu ac modesto habitu persuaderi accidit. 3. Gorgias vero addendo, quod minus dictum est ab isto, ait eam esse vim dicendo persuadendi, adeo intelligentiam. 4. Sciendum est, hoc verbum *dicere* duobus modis dici, uno in vulgari locutione, secundum quod ponitur cum adiuncto, ut *dico hoc vel dico illud*; altero in usu oratorum, secundum quod ponitur et poni debet sine adiuncto, et isto modo dicitur, quod primum sit oratoris *dicere*. 5. Secundum hanc ergo huius vocabuli acceptionem idem est *dicere* quod *perorare* id est *rhetoricam orationem facere*. 6. Et notandum, quod horum uterque, artem hanc positurus in genere, eam *vim* dixit ad illorum opinionem accedendo, qui quamlibet artem quandam dicebant potestatem, eo quod opificem suum secundum aliquid reddit potentem. 7. Unde Aristoteles in Topicorum primo: *methodum autem perfecte habebis, quando similiter, ut in rhetorica, et in huiusmodi potentiis*. Contra vero hanc, quae nunc exposita est, definitionem ita obiciendum, quod hoc non est oratoris officium persuadere, immo quiddam est, quod eius officio accidit interdum, interdum non. 8. Nam ut in Topicorum primo testatur Aristoteles: Non semper medicus sanabit, nec semper orator persuadebit, faciendo tamen, quod secundum artem suam suum est facere; nihil enim ex contingentibus omittit. 9. Ad ostendendum ergo quid faciendum sit ars rhetorica, dicere non oportet, quod sit vis dicendo persuadendi: est enim orator, qui fortasse nunquam dicendo persuadet. Aristoteles dicit, quod ipsa sit scientia inveniendi omnia persuasibilia in omni oratione. 10. Hanc definitionem dupliciter reprehendit Quintilianus, primo ideo, quod nihil addendo eam dicit esse scientiam inveniendi, cum

sit etiam pronunciandi et memorandi et exornandi scientia, ut docebunt sequentia; secundo, quod ait persuasibilia, cum invenire talia aequae viro bono ut malo competat. Saepe enim Verres persuasibilia inuenit, saepe patriae proditor Catilina, talia excogitavit: horum autem neuter dicendus est orator, quoniam horum neuter est vir bonus dicendi peritus etc. 11. Oportet enim, ut ait Marcus Cato, talem esse oratorem falso etiam videre adiunctum hoc aliter dictum 'in omni oratione'. 12. Hoc tamen addidit eo, quod opinatus est, de singulis rebus oratorem persuasibiliter posse dicere, cui etiam opinioni accessit Hermagoras, quem Tullius propter hoc in prima rhetorica redarguit, et tamen in libro suo de hac arte postremo edito huic opinioni se adiungit, in libro de oratore. 13. Ennius dixit hanc artem esse suadellae medullam, Chrysippus scientiam recte loquendi, Latodes vim inueniendi, quod in oratione persuasibile est, Critolaus hanc inquit esse non vim, non artem, non scientiam, sed dicendi usum, Ariston, Critolai discipulus, scientiam agendi in quaestionibus civilibus per orationes persuasionis popularis, Theodates vim dicendi omnia, quae auctor velit. 14. Eudorus dixit ipsam esse viam inueniendi et eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione. Sed iste definiendo in duobus peccavit, in hoc, quod dixit *inueniendi* et *eloquendi*, non amplius addens, et in hoc item, quod addidit *credibilia*, cum hoc non sit solius oratoris, verum etiam dialectici. 15. Cornelius Celsus ipsam dixit esse artem in dubia et civili materia persuasibilia dicendi: sed hic rursus in duobus deliquit. Insufficiens enim, quod ait *in civili materia*, cum etiam de materia alia dicere debeat orator et secundum artem propriam possit. Commune quoque nimis est, quod dixit persuasibiliter, sicut ex praedictis palam est. 16. Tatianus quoque ipsam esse artem bene dicendi definiuit, et hanc definitionem et Tullius et Isidorus cum ceteris huius artis scriptoribus comprobant, quam etiam Quintilianus in libro suo, ut melius assignatam, huic arti attribuit. 17. Sed iste quod ait *bene*, cum pondere intelligi voluit: duo enim in hoc

comprehendit, dicendi videlicet peritiam, quae consistit in ornate et in persuasibiliter et in recte dicendo, et rursus dicentis conversationem bonam. 18. Is enim bene dicit, qui bonus bona in oratione rhetorica inducit: *bonus* dico, non *religiosus*, sed bonus, ut legibus obtemperans et legum instituta observans et iustitiam defendens et iniustitiam obpugnans. Is enim bono fine dicit et ideo bene. Nunquam enim eum bene dicere dicam, qui ad iniustitiam defendendam et iustitiam impugnandam scienter loquitur, quantumcumque disertus et eloquens videatur: quo enim hic eloquentior, eo peior. 19. Hoc autem ideo maxime dicimus, quod cum Marco Catone oratorem tantum virum bonum esse volumus. At forte alicui videbitur, quod in hoc non recte dicimus; cum enim aequae bene disputet, qui malus est, ut qui bonus, et aequae bene numeret aut mensuret, qui malus est, ut qui bonus, et similiter aequae bene qui malus est, ut qui bonus, perorabit, item cum omnium reliquarum disciplinarum opifex possit aequae bonus esse ut malus, probabile est, quod et huius. 20. Sed hoc non negamus: huius enim artis opifex, sicut et aliarum, uno modo potest esse bonus, alio autem malus, et ideo qualiter sit intelligendum, quod bonus dicitur, nos praediximus. 21. Sic ergo ex dictis definitionibus quid sit haec ars, facile est intelligere, quo intellecto, quid in ea docendum, potest quisvis attendere. Si enim haec est ars bene dicendi, ut dixerunt, qui eam subtilius intuiti sunt, et in ea docenda bene dicere quippe cum [in] omni arte id docendum, quod secundum ipsam est faciendum. Modus docendi hic est. 22. Offert primo loco Tullius quae et qualiter in bene dicendo sint inveniendae, secundo, qualiter ea inuenta sint disponenda, tertio, qualiter haec ipsa inuenta et disposita memoranda, id est, tenaci memoriae usque ad tempus elocutionis commendanda, quarto, qualiter haec ipsa inuenta et disposita et memoriae commendata sint pronuntianda, quinto et ultimo, qualiter haec sic et sic disposita in pronuntiatione sint exornanda. 23. Et sic huius artis quinque distinguit partes, quarum prima est

inuentio, secunda inuentorum dispositio, tertia inuentorum et dispositorum memoriae commendatio, quarta horum pronuntiatio, quinta horum omnium exornatio. 24. Quid ergo in hac arte sit docendum et qualiter sit dictum, intelligatur ad quiddam, ut nunc dicemus, intelligendum. Habeatur ergo ad cuiuscumque artis utilitatem percipiendam experientia huiusmodi. 25. Omnis ars ad hoc est, ut id ex ea sit facile, quod secundum ipsam est faciendum. Bene dicere vero est idem, quod secundum artem hanc, ut dictum est, est faciendum. Ut ergo facile possimus bene dicere, docetur haec ars. 26. Cum enim alius naturali ingenio, alius exercitio, aliusque studio diutino, alius etiam horum quibusdam vel his omnibus adiutus, artificiose loquatur ad persuadendum, omnes tamen arte indigent, ut id facilius facere possint. Haec enim omnia per artem iuvantur, quoniam per hanc artem intellectam et eius notitiam habitam ad bene persuadendum omnes efficiuntur expeditiores. 27. Titulus hic est: *Rhetoricae: Tullii ad Herennium liber primus incipit*. Ut dicit Isidorus, rhetorica dicitur ἀπὸ τῶν ῥητόρων id est *a copia loquendi*: haec enim loquendo persuadendi copiam praestat. 28. Dicunt tamen alii, quod dicitur rhetorica ab eo, quod est ῥῆσις, et interpretantur: *ornata locutio*. Habent enim Graeci quattuor nomina finitimae et cognatae significationis: λόγος, φάσις et λέξις et quartum, quod est ῥῆσις. 29. λόγος idem est, quod *sermo*; unde *logica*, id est, *sermocinalis scientia*, vel secundum aliam nominis significationem, *rationalis*. φάσις idem est, quod *propositio*; unde ἀπόφασις, *propositio affirmativa*, et κατάφασις, id est, *propositio negativa*, λέξις idem est, quod sermo expeditus; unde *dialectica*, quasi de expeditione sermonis scientia. Quartum est ῥῆσις, a quo rhetorica, quoniam, ut praediximus, ῥῆσις interpretatur *ornata locutio*; et ornate loqui docet rhetorica. 30. Dicitur autem in titulo *Rhetorice Tullii*, ad differentiam aliorum, qui de hac arte scripserunt, ut ex dictis est manifestum. Sed is ipse Tullius ter de hac arte dicitur scripsisse. Ideo ad aliorum eius librorum de hac arte scripturam

differentiam dicitur *ad Herennium*, quoniam librum hunc et non alios scripsit ad amicum suum Herennium. 31. Dicitur autem in titulo: *Liber primus*, quoniam sequuntur quinque. Ter vero de hac arte scripsit Tullius. In adolescentia enim hanc artem rhetoricam docere incepit, sed eam non consummavit. Docuit enim tunc tantum eius primam, videlicet inventionem, et hanc non ad sciendum commode, sed plurimorum non attinentium conquisitione, assuendo pannum unum et alterum ad alium, ut sic opus suum latius videretur splendere. 32. Hoc enim Graeci faciunt, quoniam non sola necessaria, sed omnia, quocumque modo attinentia, scribunt, et verborum involucre facile docenda tegunt. Et quoniam hoc culpandum et mulandum perpendit Tullius, iam secundo artem eandem in virili aetate docere incepit, librum istum, quem prae manibus habemus, scribendo, in quo breviter et plene artem istam docuisse invenitur, omnem difficultatem vitando et amico suo Herennio amice scribendo. 33. Tertio quoque, cum iam in senectute esset, rursus eandem artem scripsit, et plurima in prima rhetorica dicta damnavit. Aliqua etiam eorum, quae in secunda, similiter reprehendit, artemque rhetoricam perfectam institutionem consummavit, et librum illum *De oratore* inscripsit. 34. Hic etiam cum praedictis notandum, quod erant quidam, qui artem istam infamabant et infamando damnabant. Athenaeus enim hanc dicit esse artem fallendi. Aristoteles etiam eam nec artem esse nec utilem esse in quodam libro invenitur scripsisse. 35. Plato quoque in libro, qui Gorgias inscribitur, eam damnans dicit eam non esse artem utilem, sed *κακοτέχνην*, id est, artem pravam: *κακός* enim malum, *τέχνη* ars; inde *κακοτέχνη*, id est, ars prava. 36. Hic etiam in eodem libro dicit, quod haec sit simulacrum civilitatis particulae. Civilitatem autem appellavit, quicquid ad civitatem tuendam attinet, iura videlicet et leges. 37. Ipsius civilitatis autem quattuor dixit esse partes, medicinalem primam, quae ad sanitatem conscrvandam et aegritudinem depellendam operatur; exercitationem secundam, quae ad agriculturam, ad archite-

cluram et cetera huiusmodi pertinet. Haec enim omnia civitati sunt necessaria. 38. Et notandum, quod istae duae particulae ad corpus sunt attinentes. Est civilitatis pars tertia iustitia, et quarta legalis scientia, quae duae ad animam pertinent. Dixit ergo rhetoricam simulacrum esse partis civilitatis, id est, iustitiae, quoniam secundum ipsum, qui orator est, iustitiam simulat et simulatam non habet. 39. Ad hoc dicendum ne cuiquam ars ista prava et inutilis videatur, sic Quintilianus in libro suo de hac arte conscripto multipliciter ostendit, quod Plato et alii praedicti hanc artem inutilem non dicebant propter se ipsam, sed propter eius abusionem, nec propter eius auctores, sed propter eiusdem abusores. 40. Sunt enim plurimi, qui cum secundum hanc artem dicendi habeant peritiam, ea non utuntur, sed potius abutuntur. Iustitiam enim impugnant, cum defendere debeant, et iniustitiam defendunt, quam impugnandam sciunt. 41. Sic ergo Plato et alii praedicti non hanc artem, sed eius abusionem, non huius auctores, sed eiusdem abusores reprehendunt. Quod vero haec ars utilis sit dicenda, ex eiusdem opere cuilibet facile potest apparere. 42. Cuiuslibet enim artis utilitatem operi eiusdem committendum. Nam si bonum est illud, utilis et ipsa; quod si non illud, nec ipsa. Bene dicere vero cum sit huius opus, utile est. 43. Haec enim primo hominum concordiam facit, haec amicitiae foedera instituit, haec denique omnem inter homines iustitiam fecit et factam conservavit, contrariumque destruxit. De eius ergo utilitate non licet dubitare, et haec extrinsecus sufficient.
